

contrafecerit, soluat qualibet uice grossos tres. Et accusator habeat medietatem banni.

Super beccaria. De his qui scorticant carnes.

LXX. Nullus debeat scorticare aliquas bestias magnas neque paruas in domo aliqua. Et qui contrafecerit, soluat pro qualibet uice pro boue sive uacca ille, qui scorticauerit yperp. vnum et dominus domus, in qua scorticata fuerit yperp. vnum et ille uel illa, cuius fuerit vacca uel bos yperp. vnum; et de porco medium yperp. et de qualibet alia bestia minuta quartam de yperp. Saluo, si scorticauerit cum licencia doanteriorum, verumtamen sub logia becarie per peruentum (?) non est bannum.²¹³⁾

Qualiter debent uendi carnes et intestina.

LXXI. Item nullus uendat quarterium melius de castrato ultra gross. 7 et ficatum bestie minute ultra follar. VIII. Caput integrum cum omniibus quatuor pedibus ultra follar. VII et cordas foll. VII et maçam foll. VII. Et qui contrafecerit, soluat qualibet uice pro banno yperp. vnum.

Item nullus debeat uendere carnes vaccinas ultra foll. II. libr. et carnes porcinas simul cum lardo ultra foll. IV libr. et carnes porcinas scorticatas, hoc est sine lardo follar. III libr. Et qui contrafecerit, soluat qualibet uice pro banno yperp. vnum: Et debeant fieri ballancie et pense de ferro, cum quibus debeant pensari omnes carnes vaccine et porcine. Et nullus debeat dictas carnes pensare, nisi cum dictis ballanciis. Et qui contrafecerit, uenditor soluat pro banno yperp. vnum pro quolibet. Et si aliquis uoluerit emere carnes vaccinas uel porcinas in grosso, silicet ad unum quarterium uel abinde superius, debeat esse statera pro comuni, cum qua pensentur dicte carnes. Et qui contrafecerit, uenditor teneatur soluere dictam penam. Verum tamen licitum sit omnibus, emere bestiam uiuam pro nupciis uel frataia²¹⁴⁾ uel occasione portandi extra ciuitatem, tamen cum licentia domini comitis de portando extra ciuitatem. Et teneantur beccarij dare de carnibus vaccinis et porcinis omnibus uolentibus V libr. uel ab inde supra sub pena VI gross. pro qualibet; additum est, quod nullus beccarius debeat scorticare nisi — (auf radirter Stelle) mediam partem carniū omnium predictarum — et aliam medietatem debeat uendere cum lardo. — (Folgendes auf radirter Stelle.) — Et qui contrafecerit soluat pro quolibet porco, quem scorticauerit ultra dictam . . . porcorum pro banno yperp. vnum. — Et nullus debeat occidere porcos neque aliquas bestias in diebus veneris, neque in diebus, quibus prohibitum est comedere carnes, et qui contrafecerit in predictis, soluat qualibet uice pro banno yperp. vnum.²¹⁵⁾

²¹³⁾ Note rechts am Rande: Additum est quod ille cuius fuerit bestia que scorticabitur in aliqua domo soluat yperp. V quod pena de qualibet bestia et tot de scortatore et tot de patrono domi in qua scorticabatur

²¹⁴⁾ Auch fratea, frataia.

²¹⁵⁾ Als Note: Statuimus quod carnes debeant uendi ad pondus in hunc modum uidelicet, quod nullus uendat carnes de montone castrato ultra foll. III. pro libr. Item de becco castrato, de montone coliuato, de lanata siue